
EPISTOLA
PASTORALIS
AD
CLERUM ET POPULUM
DIOECESIS LIPARENSIS



ROMAE
APUD JOSEPHUM GISMONDI
1844

BONAVENTURA ATTANASIO

IN ALMO NEAPOLITANO THEOLOGORUM COLLEGIO

S. THEOLOGIAE MAGISTER

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS LIPARENSIS

VENERABILIBUS FRATRIBUS ET DILECTISSIMIS IN CHRISTO FILIIS

CAPITULO, CLERO, ET POPULO UNIVERSO DIOECESIS SUAE

Pacem et Salutem in Domino sempiternam.

Ex Petri Cathedra, et Ecclesia principali, unde Unitas Sacerdotalis exorta est (1), et e qua in reliquas omnes venerandae communionis jura dimanant (2), jam jam ad Vos, Venerabiles Fratres, et Filii in Christo carissimi, iter aggredientes Episcopatus charactere insigniti, pastoralem hanc epistolam ad sinceros animi nostri sensus vobis exponendos, praemittendam duximus.

Laudationem Domini loquatur os meum (3), et nomen Sanctum ejus anima mea ac spiritus, caro et lingua benedicat; quia ,, non verecundae, sed ingratae mentis indicium est, *ut verbis utar Magni Leonis* (4), beneficia tacere divina, et satis dignum est sacrificiis dominicae laudis obsequium consecrati Pontificis inchoare ,,. Licet enim necessarium fateamur trepidare de merito, ex quo quidem factum est, ut respicientes ad exiguitatis Nostrae tenuitatem, et ad muneris magnitudinem exclamare coacti fuerimus ,, Domine, audivi auditionem tuam et timui ,, (5), ac proinde Athanasii, Nazianzeni, Ambrosii, aliorumque quamplurium et doctrinae copia et virtutum omnium laude praestantissimorum virorum exemplo permoti, nullum non movimus lapidem ad illud ipsis Angelicis humeris formidandum (6) onus removendum fugiendumque. Nunc tamen cum jam Christi Vicarius, ac supremus totius Ecclesiae Pastor, cui obluctari nefas, pientissimi Regis nostri Ferdinandi II

(1) S.Cyp.epist.55.edit. Maur.
(2) S. Amb. Epist. n. 11. Cles. 1.
(3) Psal. 144. 21.
(4) Serm. 1. de Natali ipsius S. Leon. I habit. in die ord. suae
(5) Hebac. c. 3. 1.
(6) Conc. Trid Sess. 6. c. 1. de reform.

votis Nos summa benignitate ad Sedem Liparensem nominantis, ea, qua pollet, auctoritate annuerit, religiosum absque dubio est gaudere de dono, eo quod Deus „ ut multum a me diligeretur, multa dimisit, et ut mirabilem faceret gratiam suam, in eum munera sua contulit, in quo meritorum suffragia non invenit (1); qui mihi autem oneris est auctor, ipse est administrationis adjutor, et ne sub magnitudine gratiae succumbat infirmus, dabit virtutem, qui contulit dignitatem „ (2). Eo vel magis nobismetipsis gaudemus atque gratulamur, quod Ecclesia nostrae curae commissa fidem ab ipso gentium Apostolo, sicut inveterata Patrum fert traditio, acceptam, nunquam vel longo temporis lapsu, vel immitibus Saracenorum incursibus, vel pravis haereticorum doctrinis aliquo pacto foedavit; atque juxta fidei monita actus omnes moresque componens, virtutis laude, morum probitate, doctrinae ac pietatis studio nullo non tempore enituit (3). Quam igitur „ gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro Vobis, in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum; nocte ac die abundantius orantes, ut videamus faciem vestram? . . . ipse autem Deus et Pater noster, et Dominus noster I. C. dirigat viam nostram ad Vos. Vos autem Dominus multiplicet, et abundare faciat charitatem vestram in invicem, et in omnes, quemadmodum et nos in vobis, ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate ante Deum et Patrem nostrum in adventu Domini Nostri I. C. cum omnibus Sanctis ejus „ (4).

Quod ut reipsa fiat sicut optamus, absentes licet corpore, spiritu tamen vobiscum, imo charitatis ala in universa nostra Dioecesi circumvolitantes (5), pastorale munus hoc ipso consecrationis nostrae die, Deo auctore ac Duce, Deipara vero Patrona atque adjutrice, auspicantes, aliqua vobis de communi vestra salute hisce literis dicemus; quae pro vestra in Nos benevolentia, ac amore, veluti Pastoris ac Patris amantissimi verba cum voluptate, ac reverentia vos suscepturos esse confidimus. Ac in primis os nostrum patet ad Vos, Venerabiles Fratres, qui Episcopi Assessores, et Sacer Cathedralis Ecclesiae nostrae Senatus estis (6); Vos sincerae pietatis sectatores, atque ministerium vestrum honorificantes omnes jure merito suspiciant: Vestrum igitur auxilium in sana puraque doctrina sarta tectaque custodienda, in conservanda, et augenda Ecclesiastica disciplina, in lupis a Christi ovili arcendis, in bonis moribus conformandis fovendisque, uno verbo in universa Liparensi Dioecesi recte sancteque regenda, maxima animi contentione exposcimus; vestrorum utpote in partem sollicitudinis pastoralis adscitorum consiliis liben ter utemur, nihilque nobis gratius, nihil erit jucundius, quam difficiliora Ecclesiae Nostrae negotia concredere Vobis, quorum operam pro sapientia, qua polletis, re-

(1) S. Leo. Serm. 2.
(2) Ibid.
(3) Ughel. Ital. Sac. tom. 1. art. Episc. Lipar.
(4) 1. Thess 3. 9.
(5) S. Ioan. Chrys. Epist ad Inn. Pp.
(6) Conc. Trid Ses. 24 c. 12

rumque usu Nobis in nostro munere fungendo non parum profuturam esse vehementer speramus. Unum sit omnium nostrorum studium, una virium conspiratio, unus laborum finis, non quae nostra, sed quae Jesu Christi sunt quaerentes. Cum vero majores nostri arma religionis dixere psalmodiam (1), cujus celebritate et frequentia in militanti Ecclesia, triumphantis figura tanquam exemplaris imitatione exprimitur, (2) propterea, immolantes hostiam laudis jungamus sensum verbis, et affectum sensui, exultationem affectui, gravitatem exultationi (3). Memores porro nominis atque institutionis vestrae, ea pietate et assiduitate divina officia colite, ut alii vestro exemplo ad studium et amorem divini cultus accendantur: Uno praeterea pacis et charitatis foedere, atque animorum consensione conjunctissimi sitis oportet: et sicut honore ac dignitate praestatis, ita virtutis exemplis, vigilantique in vestri muneris curaeve partibus obeundis sollicitudine praeluceatis. (4)

Vos autem, Reverendi Parochi, caeterique animarum Curatores, videte quale ministerium vobis traditum sit: „ Regi enim corpora commissa sunt, Sacerdoti animae: Rex maculas corporum remittit, Sacerdos autem maculas peccatorum „ (5) imo Angeli „ Omnes, *sicut ait Apostolus*, sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui haereditatem capient salutis. Sed longe excellentius est officium vestrum, quod admirabile est, et non solum in oculis vestris; sed etiam Angelorum (6) „: purum igitur immaculatumque animum custodire totis viribus satagite, ne quis vos increpet: *medice cura teipsum*: „ necesse est autem, ut esse munda studeat manus, quae diluere aliorum sordes curat, ne tacta quaeque deterius inquinet, si sordida in se mens lutum tenet „ (7).

Quoniam vero Vos non, quasi judices criminum, ad percutiendum positi estis, sed quasi judices morborum ad sanandum (8), omnes paterno prorsus affectu complectimini aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, (9) Pastorem et Episcopum animarum vestrarum (10), qui ideo debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret (11), et ut possit compati infirmitatibus nostris, tentatus per omnia pro similitudine absque peccato (12): induite proinde sicut electi Dei viscera misericordiae, benignitatem, modestiam, patientiam (13)

(1) 1. S. Ioan. Clim. Scal. Parad. grad. 4. de obedientia n. 13.

(2) Conc. Aquilei an. 1586. de divinis offic.

(3) S. Bern. serm. 1. in caut.

(4) Act. Eccl. Mediol part. 1. Conc. Prov. 4. monition.

(5) S. Chrys. hom. 4. in verba Isaiae: *In anno quo mortuus est rex Osias.*

(6) S. Bern. Serm ad past. in Syn.

(7) S. Greg. Past. p. 2. c. 2.

(8) Hugo a Sancto Vict. Miscellan 1. lib. 1. tit. 49.

(9) Heb. 12. 2.

(10) 1. Pet. 2. 25.

(11) Heb. 2. 17.

(12) Heb. 4. 15.

(13) Col. 3. 12.

erga fideles, quos suscipiatis oportet „ tamquam si nutrix foveat filios suos „ (1). Cum tamen speculatores facti domus Israel, si non fueritis loquuti, ut se custodiat impius a via sua, ipsa morietur in iniquitate sua, sanguis autem ejus de manu vestra requiretur (2): cumque scriptum sit *noli quaerere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates* (3), mansuetudini adjungenda est severitas; nec in increpationibus verba vestra cuique blandiantur, sed ut a S. S. scriptum est: stimuli sint, et quasi clavi in altum defixi (4): sit igitur amor, sed non emolliens; sit rigor sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderate saeviens; sit pietas, sed non plusquam expediat parcens (5). Fiat a vobis fideliter salubriterque Sanctissimorum Ecclesiae Sacramentorum distributio „ per quae omnis vera justitia vel incipit, vel caepta augetur, vel amissa reparatur „ (6) nec non robur illud ac fortitudo fidelibus tribuuntur, quibus in omni prorsus discrimine possint completam de inimicis reportare victoriam. Praecipue vero vobis cordi sit puerorum in Christianae fidei documentis instructio, a quibus totius in posterum religiosae et civilis Societatis prosperitas pendet .„ Scio equidem jam indignum videri apud multos, si quis ex theologis, aut famatus in litteris, vel ecclesiastica dignitate praeditus, ad hoc se opus inclinaverit (7). At, o piissime Jesu, quis ultra post te verecundabitur esse humilis ad parvulos? Quis tumescens et elatus de sua magnitudine vel scientia, parvitatem deinceps parvulorum, ignorantiam vel imbecillitatem audebit aspernari, quando tu, qui es Deus benedictus in saecula (8), in quo sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae Dei absconditi (9), usque ad castissimos parvulorum amplexus beata brachia mansuetus inclinas atque circumligas? (10) Porro Quis nesciat primitias florentis aetatis sicut et in plantis, et vineis et rebus caeteris acceptiores existere, ac proinde obsequia parvulorum gratiora esse, quam senum debilitatorum, qui non vitia deserunt, sed a vitiis relinquuntur? Plane non video quid de sanatizante juvene sperandum sit in senectute, quando perversis inclinationibus accesserit perversior consuetudo. Parvuli apti sunt ad accipienda bonorum studiorum exordia Utres sunt recentes pro liquoribus optimis. Novellae praeterea plantationes, quae sequuntur leviter, quo ducentis manus deflexerit „ (11). Illos igitur in spiritu lenitatis instruendos dirigendosque magna animi alacritate suscipite; lac et potum

(1) 1. Thess. 2. 7.
(2) Ezec. c. 33. 8.
(3) Eccli. 7. 6.
(4) Eccle. 12. 13.
(5) S. Greg. mor. 20. c. 8.
(6) Conc. Trid. Ses. 7. proem.
(7) Ioan. Gerson. Tract de parvulis trahendis ad Christum consid. 4.
(8) Rom. 9. 5.
(9) Col. 2. 2.
(10) Gerson. loc. cit.
(11) Gers. op. cit. consider. 1.

juxta eorum aetatem ipsis porrigite, Sacramentorum, Eucharistiae praesertim, auxilio eos munite, ne facile sub teterrimo Diaboli jugo quod baptismate excusserunt, iterum succumbant. Cum vero ars artium sit regimen animarum (1), et scientia scientiarum hominem regere (2), hinc studio sancto et Orationi incumbatis oportet, ne cum aliis praedicaveritis, ipsi, quod Deus avertat, reprobi efficiamini.

Vos autem quotquot estis in Liparensi Dioecesi Presbyteri, in memoriam revocate, quod jamdiu didicistis, scilicet „ quantam dignitatem contulit vobis Deus, quanta est praerogativa ordinis vestris; praetulit vos Deus regibus et imperatoribus; praetulit vestrum ordinem ordinibus omnibus; imo ut altius loquar, praetulit vos Angelis, et Archangelis, Thronis, et Dominationibus. Sicut enim non Angelos, sed semen Abrahae apprehendit ad faciendam redemptionem: sic non Angelis, sed hominibus, solisque Sacerdotibus, Corporis et Sanguinis commisit consecrationem (3). Tantum igitur inter vos et quemlibet probum sit discriminis, quantum inter coelum et terram discriminis est (4): necesse autem est Sacerdotem sic esse purum, ut si in ipsis coelis collocatus, inter coelestes illas virtutes medius staret„ (5): propptereaque ita vitam ducere contendamus, ut decet ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei (6), nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros (7): quod quidem in Altaris praesertim ministerio nobis quam maxime enitendum est. Etenim, ut ad rem docet Concilium Tridentinum (8) „ quanta cura adhibenda sit, ut Sacrosanctum Missae Sacrificium omni religionis cultu, ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitavit, maledictum in Sacris Litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si serio fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per Sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet, omnem operam, et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxime fieri potest interiori cordis munditia, et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur „. Cavendum igitur valde est ne libidinis flammam, vel cujuscumque vitii fomitem inter salutares Hostias deferamus (9), vel caeremonias ab Ecclesia ex Apostolica disciplina et traditione adhibitas „ quo

(1) S. Greg. Past. p. 1. c. 1.
(2) S. Greg. Nazianz. orat. 1. n. 31.
(3) S. Bern. Serm. ad Pastor. in Syn.
(4) S. Isid. lib. 2. Epis. 205.
(5) S. Chrys. lib. 3. de Sacerd. c. 4.
(6) 1. Cor. 4. 1.
(7) 2. Cor. 6. 3.
(8) Sess. 22 c. 9. decr. de observ. et evitandis in celeb. Missae.
(9) S. Pet. Dam. Opusc. 18. contra Clericos et intemper. diss. 1. c. 4.

majestas tanti Sacramenti commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur (1) „ contemnamus, detruncemus, immutemus, aut negligamus. Nemo Filium Dei, ad cujus adspectum columnae coeli contremiscunt, et universa terra, et omnia quae in ea sunt commoventur (2), impie conculcet, et Sanguinem testamenti pollutum ducat, in quo sanctificatus est (3). Deuique exhortamur vos, ut omni prorsus quo potestis modo, ingenio, doctrina, aliisque dotibus quibus a Deo cumulate donati estis, ad vestram aliorumque salutem utamini: qui enim Dei donum in utilitatem alienam communicat, plenius meretur habere quod habet: nam dabitur ei, et abundabit: qui autem e diverso talentum Domini abscondit, quod videtur habere, auferetur ab eo; (4) neque id mihi persuasi, ait Chrysostomus, salvum fieri quemquam posse, qui pro proximi sui salute nihil laboris impenderit (5). Haec monita sectantes „ infernum expoliabitis, Daemonem prosternetis, peccata eliminabitis, Paradisum aperietis, Angelos laetificabitis, et aeternas vobis ac immarcescibiles coronas comparabitis (6).

Ad vos nunc, Adolescentes Clerici, vocem Patris amantissimi converti necesse est. Filioli nostri in Christo carissimi, audite verba oris nostri, et ea in corde vestro quasi fundamentum construite (7). Omnibus diebus vitae vestrae habeatis in mente Deum, et cavete ne aliquando peccato consentiatis, et praetermittatis praecepta Domini Dei nostri (8): servite Domino in veritate, et inquirite ut faciatis quae placita sunt illi (9): ac proinde videte ne, Deo non vocante, ordines suscipiatis; qui enim non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, et latro (10); nec quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec (11). Non carnem et sanguinem, sed spiritum Dei hac praesertim in re sequimini, *qui* enim *amat patrem*, clamat Christus, *aut matrem plusquam me*, *non est me dignus* (12). Quod si, ut speramus, ad Sacerdotale munus Deus misericorditer vos elegit, confortamini, et gratias agite ei, qui separavit vos a ceteris populis ut essetis ejus. (13) Sanctitatem proinde sectamini, cui enim Deus portio est; nihil debet curare nisi Deum (14): decet autem omnino clericos in sortem Do-

(1) Conc. Trid. sess. 22. cap. 5.
(2) Iob. 26. 11.
(3) Heb. 10. 29.
(4) Petr. Bles. de inst. Episc. in proemio.
(5) S. Chrys. lib. 6. de Sac. c. 10.
(6) S Car. Borr. Orat. 3. Syn.
(7) Tob. 4. 2.
(8) Tob. 4. 6.
(9) Tob. 14. 10.
(10) Joan. 10. 1.
(11) Heb. 5. 4.
(12) Mat. 10. 37.
(13) Lev. 20. 26.
(14) S. Amb. l. 2. de fuga pec. c. 2.

mini vocatos vitam moresque componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum praeseferant (1). A malorum consortio, qui vel morum integritati, vel puriori doctrinae insidiantur, abhorrete cane pejus et angue; amicus enim stultorum similis efficietur (2); nolite seduci: corrumpunt mores bonos colloquia mala (3): omnis autem immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quae ad rem non pertinet (4). Nec vobis inculpatam ducere vitam sufficiat, sed sacrarum profanarumque statui vestro congruentium disciplinarum curriculum perficere totis nervis contendite; „ sicut enim iniqui et peccatores ministerium assequi Sacerdotale prohibentur; ita indocti et imperiti a tali officio retrahuntur: illi enim exemplis suis vitam bonorum corrumpunt, isti vero ignavia sua iniquos corrigere nesciunt; quid enim docere potuerunt, quod ipsi non didicerunt? „ (5). Eo magis quod turbulentissimis hisce temporibus tot emerserunt ab inferis errorum monstra, tot sophismata ab omnibus prorsus scientiis petita nuperi rationalistae, et qui se vocari amant philosophos atque politicos ad sacratissimam nostram religionem radicitus evellendam corraserunt, ut incredibilia prorsus videantur. In addiscendis igitur disciplinis juxta ordinem a vestris superioribus impositum sedulam navate operam, ut possitis non modo exhortari in doctrina sana, sed et eos qui contradicunt arguere (6). Tales in scholis clericos erudiri necesse est „ quibus merito dicatur a Domino: vos estis sal terrae; et qui condimentum plebibus esse valeant: et quorum doctrina non solum diversis haeresibus, verum etiam Antichristi monitis et ipsi Antichristo resistatur, ut merito de illis in laude Ecclesiae dicatur: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium „ (7). Scientiam autem consequi contendatis necesse est, quae non inflet sed aedificet; proindeque orationi quam diligentissime incumbite; invocate, et veniet in vos spiritus sapientiae, per quam vobis omnia bona et innumerabilis honestas pariter venient (8). Reddite interdum vosmetipsos vobis, dantes aliquid temporis spirituali considerationi; haec enim „ regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat, et ordinat, divinarum pariter et humanarum rerum scientiam confert. Haec est quae confusa determinat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta et fucata explorat: Haec est quae agenda praeordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat, aut incorrectum, aut correctione egens „ (9). Cum vero instituendae

(1) Conc. Trid. sess. 22. de reform. c. 1.
(2) Prov. 13. 20.
(3) 1. Cor. 15. 33.
(4) Eph. 5. 3.
(5) S. Isid. Hispal. de summ. bono l. 3. c. 35.
(6) Tit. 1. 9.
(7) Conc. Cabillon. 2. c. 3.
(8) Sap. 7. 11.
(9) S. Bern. de Consid. lib. 1. c. 7.

ecclesiasticae juventuti nihil opportunius quam Seminarium, de quo tam multa ac praeclara statuit Tridentina Synodus (1); hinc nulli labori, nulli parcemus industriae, ut quam citissime Ecclesia nostra tanto bono donetur; eo magis quod ad hoc opus perficiendum benigne respiciunt Summi Pontificis pro hac Dioecesi sollicitudo, et Pientissimi Regis nostri erga nos munificentia.

Quid autem vobis, religiosae professionis Alumni, dicemus? Ambulate sicut habetis formam patrum vestrorum: aemulamini de die in diem charismata meliora, et quid religiosae familiae valeant Ecclesiae, reipublicaeque bono, factis ipsis probate adversus nebulones illos, qui claustrales omnes veluti ignorantiae sectatores, desides, aliorum malo natos damnare non erubescunt: hi quidem, quae ignorant, blasphemant: vos tamen illos operibus monastica vocatione dignis confundere necesse est: vestrae professionis regulis ac constitutionibus adhaerentes perfectionis iter alacri animo currite: mundi illecebras fortiter spernite, et ut, auxiliares veluti Ecclesiae milites, Nos in nostro pastorali munere Sacramentorum ope, divini verbi praeconio, et alia quavis ratione adjuvetis oro obtestorque.

Vos vero Optimates omnes, et quotquot estis, quibus publicae tranquillitatis cura, legumque civilium custodia commissa est, mementote quod sicut aliis nobilitate, potentia, dignitate antecellitis, sic exemplo, pietate, mansuetudine, ceterarumque virtutum ornamentis fulgere vos deceat; praecipit enim Apostolus „ Non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum), bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam „ (2). „ Quod justum est, judicate, sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis, ut magnum: nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est (3): quaerite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo; defendite viduam (4); qui enim cognoscit in judicio faciem, non benefacit; iste pro buccella panis deserit veritatem (5) „.

Vos autem postremo alloquimur omnes quotquot estis in Christo filii, cujuscumque conditionis, aetatis, sexus et fortunae „ Charissimi: omnem sollicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute, necesse habui scribere vobis: deprecans supercertari semet traditae sanctis fidei: subintroierunt enim quidam homines (qui olim praescripti sunt in hoc judicium) impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum dominatorem et Dominum nostrum J. C. negantes (6) „. Hi reformandae quidem Christianae religionis specie ipsam religionem e fundamentis evertunt, et quod incredibilius videtur cujuscumque

(1) Sess. 23. c. 18.
(2) 1. Tim. 6. 17.
(3) Deut. 1. 16.
(4) Isa. 1. 17.
(5) Prov. 28. 21.
(6) Iudae v. 4.

generis impietatem, ne ipso excepto Atheismo, catholicorum formulis obductam docere non verentur:,, nam ejusmodi pseudoapostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi,, (1). Neque id satis:,, volunt enim libri peccare docentes, Urbibus et Castellis ingeruntur, quibus pro luce tenebras, pro melle vel potius in melle venenum passim omnibus propinatur,, (2). Imo, proh dolor! quidam ex his, de quibus nunc loquimur, Satanae Ministris, vos vos ipsos, dilectissimi in Christo Filii, in aeternum perdere data opera conantur; sciatis enim oportet perditos quosdam ex diversis sectis homines Neo-Eboraci in America proximo anno convenisse, pridieque Idus Junias inivisse novam societatem *Foederis Christiani* nomine nuncupatam, quorum commune consilium est, ut religiosam libertatem, seu potius vesanum indifferentiae super religione studium Italis infundant, ex quibus facile pestis illa ad ceteras nationes propagari possit. Ut autem facilius Italorum animos pervertant, ipsorum manibus vulgaria corruptaque biblia juxta impia Societatum Biblicarum in Anglia initio hujus saeculi exortarum statuta clanculum ingerunt, ac una simul distribuunt pessimos alios libros, libellosque quorumdam Italorum ope compositos aut in patrium sermonem translatos ex aliis auctoribus, inter quos *Historiam reformationis* a Merle d'Aubigné conscriptam, et memorabilia *super reformatione apud Italos* Joannis Cric praecipue designant. Nefariam hanc sectam nuperrime damnavit SS. D. N. Gregorius XVI. in epistola Encyclica ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos, data postridie Nonas Maij 1844. Vos itaque, filii, quos utpote in Italiae confiniis degentes, ex quibus facilis atque frequens per totam Italiam commeatus est, praecipue haeretici illi pervertere satagunt, vigilate, state in fide, viriliter agite, et confortamini (3): Sedis Apostolicae decretis ac definitionibus, ea, qua par est, reverentia adhaerentes, a praedicta Societate Foederis Christiani, ceterisque ei auxiliantibus, nec non ab aliis Biblicis Societatibus reliquisque sectis ab Ecclesia damnatis abhorrete, biblia contra S. Sedis praescripta in vulgarem linguam conversa, nec non alios quoscumque proscriptos damnososque libros a vestris manibus rejicite: quod si quis inter vos vel ignorantia deceptus, vel passionum aestu abreptus societatibus illis nomen dederit, aut aliquo modo eas adjuverit, gravitatem peccati sui agnoscat, et salutaris poenitentiae remediis expiare satagat.

Ast cum Apostolus dicat,, si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum:,, (4) hinc, filii mei dilectissimi, sectamini charitatem, aemulamini spiritalia (5): sitis obsecro,, in charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitu-

(1) 2. Cor. 11. 13.
(2) S Bern. Epist 189 ad Inn. Pp
(3) 1. Cor 16 13.
(4) 1. Cor. 13 2.
(5) 1. Cor. 14. 1.

do, et longitudo, et sublimitas, et profundum: scire etiam supereminentem scientiae charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei „ (1). Haec est autem charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus (2). Propterea sanctum et terribile nomen Dei ne in vanum assumatis, neque contra sanctum Israel blasphemantium linguam imitemini. Festos dies sancte custodite, et nullo eos pacto polluite, in iisque sicut in die honeste ambulate, non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et aemulatione (3), sed honorem tribuite diei sanctificationis, et honorate eum, qui universa conspicit (4). Sit vero ad Ecclesias humilis et devotus ingressus, sit in eis quieta conversatio, Deo grata, inspicientibus placita, quae considerantes non solum instruat, sed reficiat: attendantur ibidem intentis praecordiis sacra solemnia, devotis orationibus insistatur. Nullus seditionem excitet, conclamationem moveat, impetumve committat: cessent vana, et multo fortius foeda et profana colloquia: cessent confabulationes quaelibet. Sint postremo quaecumque alia, quae divinum possunt turbare officium, aut oculos divinae majestatis offendere, ab ipsis prorsus extranea, ne ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi (5).

Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea (6), et nolite amari esse ad illas (7); et cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam et cohaeredibus gratiae vitae (8): Similiter et mulieres subditae sint viris suis: ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conversationem vestram. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando et sanctae mulieres sperantes in Deo ornabant se subjectae propriis viris (9). Pie et salubriter filios, vos conjuges, erudite, illisque mandate, ut faciant justitias et eleemosynas, ut sint memores Dei, et benedicant eum in omni tempore in veritate, et in tota virtute sua (10). A teneris unguiculis docete eos timere Deum, et abstinere ab omni peccato (11): magnam sollicitudinem habetote de illis, sanctificantes eos; et Iobum (12) imitantes, orationis holocaustum singulis diebus offeratis oportet, ne for-

(1) Eph. 3. 17.
(2) 1. Ioan. 5. 3.
(3) Rom. 13. 13.
(4) 2. Mac. 15. 2.
(5) S. Greg.
(6) Ephes. 5. 25.
(7) Col. 3. 19.
(8) 1. Pet. 3. 7.
(9) 1. Pet. 3. 1.
(10) Tob. 14. 10.
(11) Tob. 1. 10.
(12) Iob. 1 5.

te peccent: melior est enim unus timens Deum, quam mille filii impii: et utile est mori sine filiis, quam relinquere filios impios(1): haec autem omnia patienter aeque ac fortiter fiant, monente Apostolo: „ et vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini „ (2). Et vos filii, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est (3); filio autem doloso nihil erit boni (4). Servi obedite dominis carnalibus cum timore et tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino et non hominibus: Scientes quoniam unusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber. Et vos domini eadem facite illis; remittentes minas; scientes quia et illorum, et vester Dominus est in coelis: et personarum acceptio non est apud eum (5).

De cetero, fratres, confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiae, et calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere; et galeam salutis assumite, et gladium spiritus (quod est verbum Dei) per omnem orationem, et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu: et in ipso vigilantes in omni instantia, et obsecratione pro omnibus Sanctis (6): praesertim enixas preces effundite coram Domino pro Summo Universae Ecclesiae Pontifice, GREGORIO XVI. ut illum ad nostrum totiusque orbis bonum diu incolumem servet, atque ei opem ferat ad fidei veritatem sartam tectamque tuendam, iniquas haereticorum sectas refellendas conterendasque; Christianaeque gentis tranquillitatem, reluctantibus licet inferorum portis, servandam: et pro piissimo ac providentissimo Rege Nostro, FERDINANDO II. ut ipsum una cum Augusta ejus Conjuge, totaque regia Familia diu sospitet, dexterae ejus potentia semper et ubique circumdet et protegat ob Ecclesiae totiusque Siciliarum regni felicitatem: nec non pro Eminentissimo Domino ANTONIO-FRANCISCO ORIOLI, qui vestrum Nos hodie pro magna sua benignitate Episcopum consecravit.

„ Obsecro denique vos fratres per Dominum Nostrum I. C. et per charitatem S. S. ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum „ (7), ut det mihi sedium suarum assistricem sapientiam, ut mecum sit et mecum laboret, cu-

(1) Eccli. 16. 3.
(2) Eph. 6. 4.
(3) Eph. 6. 1.
(4) Prov. 14. 15.
(5) Eph. 6. 5.
(6) Eph. 6. 10.
(7) Rom. 15. 30.

stodiatque me in sua potentia (1) ad consummationem sanctorum, in aedificationem Corporis Christi (2), quod estis vos (3).

Quoniam vero omnia Deus nos habere voluit per Mariam intemeratam Unigeniti sui Matrem:,, amplectamur ejus vestigia, et devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamur. Teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis; potens est enim (4) ,,. Et ut magis magisque preces nostrae a Deo exaudiantur, Angelorum hujus Dioecesis tutelarium, S. Bartholomaei primarii nostri Patroni, aliorumque Sanctorum, quorum peculiari patrocinio jure merito confidimus, opem suppliciter imploremus.

Interim fausta omnia vobis a Deo adprecamur, vosque omnes, Fratres et Filii mei dilectissimi, peramanter amplectentes, pastoralem benedictionem oculis ac manibus ad caelum elevatis vobis omnibus impertimur ,, Gratia (5) Domini Nostri I. C. et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

Datum Romae extra Portam Coelimontanam V. Calendas Augustas anno Incarnationis Dominicae MDCCCXLIV. ipso Consecrationis nostrae die.

(1) Sap. 9. v. 4. 10. 11.
(2) Eph. 4. 12.
(3) 1. Cor. 12. 27.
(4) S. Bern. Serm. in c. 12 apoc.
(5) 2. Cor. 13. 13.